

TH. Quid istuc ad me attinet, quo tu intereas modo?	75	
EP. Quia perire solus nolo, te cupio perire mecum, benevolens cum benevolente. TH. Abi in malam rem maxumam a me cum istac condicione. EP. I sane, siquidem festinas magis.		
TH. Numquam hominem quemquam conveni, unde abierim lubentius.		80
EP. Illic hinc abiit. solus nunc es. quo in loco haec res sit vides, Epidice: nisi quid tibi in tete auxili est, absumptus es. tantae in te impendent ruinae: nisi suffulcis firmiter, non potes subsistere, itaque in te inruont montes mali. neque ego nunc quo modo	85	
me expeditum ex impedito faciam, consilium placet. ego miser perpuli meis dolis senem, ut censeret suam sese emere filiam: is suo filio fidicinam emit, quam ipse amat, quam abiens mandavit mihi.		90
si sibi nunc alteram ab legione adduxit animi causa, corium perdidit.	91a	
nam ubi senex senserit sibi data esse verba, virgis dorsum despoliet meum. at enim tu praecave. at enim — bat enim, nihil est istuc. plane hoc corruptumst caput.		95
nequam homo es, Epidice. qui lubidost male loqui? quia tu tete deseris. quid faciam? men rogas? tu quidem antehac aliis solebas dare consilia mutua.		100
aliquid aliqua reperiundumst. sed ego cesso ire obviam adulescenti, ut quid negoti sit sciam. atque ipse illic est. tristis est. cum Chaeribulo incedit aequali suo. huc concedam, orationem unde horum placide persequar.		